

eorum fuit habitum consilium, ipsisque summorum principum auspiciis & saepe impensis suffultum, qui praestantium Europae Numophylaciorum descriptiones, aut numismatum in iis asservatorum, publicare constituerunt recensiones. Quantum ex altera parte principi adcrevit exinde gloriae, tantum litterarum amatoribus ex altera subnascitur utilitatis. Argumentis, ex ipsa rerum harum natura ductis, aequae ac auctoritate virorum, in hoc genere praestantissimorum, tueri possem, si quidem omnino probatione, id quod modo asserui, opus haberet. (c) Quamuis autem

(c) Nemo fere est Auctorum, qui hanc scientiam sibi tractandum sumserunt, qui non & hoc ornauerit argumentum, ut fere hodie in laudes eius excurrenti obiici queat notissimum illud: *ecquis vituperavit?* Omnes tamen, uti notum est, superavit Ill. Ezech. Spanhemius, in eximio nempe opere *de usu & praestantia numorum antiquorum*. Cuius praesertim Editio nouissima, quae forma maxima (in folio uti loquuntur) Londini prodiit atque Amstelodami argumentum plenissime exhaurit, ut fere tentari possis suspicari, Dianae suae amore captum, ipsum, si non *nimis*, ea in. scripsisse, quae abunde possint esse *satis*. In recentissimis auctoribus, qui de hac materia erudite atque solide differuere, nominandus est imprimis Cel. MICH. GOTTL. AGNETHLER, cuius legitur praefatio ad Germanicam Numophylacii *Schulziani* descriptionem, *Halae Magd.* 1750. 4. ab ipso editam, ubi etiam memoratu digna B. I. H. SCHVLZII verba, ex eius programmate referuntur, quae usum depraedicant huius